

exoriens simul atque cadens, quia fertur in orbem  
ventris et acclivis pariter declivia iungit  
atque alios superat gyros aliosque relinquit.

235 [ex quo colligitur terrarum forma rotunda]

Hanc circum variae gentes hominum atque ferarum  
aeriaeque colunt volucres. pars eius ad arctos  
eminet, austrinis pars est habitabilis oris  
sub pedibusque iacet nostris supraque videtur

240 ipsa sibi fallente solo declivia longa  
et pariter surgente via pariterque cadente.

hanc ubi ad occasus nostros sol aspicit actus,  
illic orta dies sopitas excitat urbes

245 et cum luce refert operum vadimonia terris;  
nos in nocte sumus somnosque in membra vocamus.  
pontus utrosque suis distinguit et alligat undis.

Hoc opus immensi constructum corpore mundi  
membraque naturae diversa condita forma  
aeris atque ignis, terrae pelagique iacentis,  
vis animae divina regit, sacroque meatu  
conspirat deus et tacita ratione gubernat  
mutuaque in cunctas dispensat foedera partes,  
altera ut alterius vires faciatque feratque  
summaque per varias maneat cognata figuras.

255 Nunc tibi signorum lucentis undique flammis  
ordinibus certis referam. primumque canentur  
quae media obliquo praecingunt ordine mundum  
solemque alternis vicibus per tempora portant  
atque alia adverso luctantia sidera mundo,  
260 omnia quae possis caelo numerare sereno,  
e quibus et ratio fatorum ducitur omnis,  
ut sit idem mundi primum quod continet arcem.

265 Aurato princeps Aries in vellere fulgens  
respicit admirans aversum surgere Taurum  
summisso vultu Geminos et fronte vocantem,  
quos sequitur Cancer, Cancrum Leo, Virgo Leonem.  
aequato tum Libra die cum tempore noctis